



Disciplinae Speculative generales à se invicem per abstractionem à materia
 sensibili ita distinguuntur, quae triplicem modum habet abstrahendi à ma-
 teria Physica et Sensibili, quorum singulas singulae etiam conveniunt Discipline:
 1. Si abstractio fit solum à materia signata i. singulari, quo modo homo abstra-
 hitur à materia non, omni, sed singulari solum seu conditionibus individualibus,
 et talis abstractio est, quae assignatur Physica. 2. Alia abstractio fit à materia et signata
 et universaliter secundum rationem; Quomodo dicuntur ea abstrahi, quae in materia
 eadem reserata sunt, et existunt solum, sed tamen tunc abjunguntur in apprehensione
 sua ab omni materia sensibili: Sic quantitas quidem per se est in materia sensibili,
 sed tamen à mathematico apprehenditur sine materia sensibili: et ejusmodi ab-
 stractio secundum rationem competit Mathematici. 3. Alia denique abstractio est, quae
 fit à materia secundum rem et rationem, uti solet in ipsis, quae non solum in ap-
 prehensione intellectus sine materia concipiuntur, sed etiam reserata sunt et saltem
 ut sic materiam non habent. Quo modo DEUS et Angeli abstrahunt à materia se-
 cundum rem et rationem, quia hi nec apprehensione mentis concipiuntur cum materia,
 nec etiam aliqui verè habent materiam, et hic estis modus est quem Metaphy-
 sica sibi unice vendicat.

In Metaphysicis alia tractantur per se et immediatè et propter disci-
 plinam ipsam: alia a. mediatè et per accidens, et propter disciplinas
 alias, quarum subiecta praecognoscere debet Metaphysica.

Ob K. F.
 W. F.

iz JC

Signat!

~~SSI~~



DISPUTATIONUM
METAPHYSICARUM
SECUNDA
De
RATIONE ESSENDI
sive
ESSE ENTIS,

Quam
ENTE purissimo & primo illo annuente
&

Amplissima Facultate Philosophica
consentiente

SUB PRÆSIDIO

M. JOHANNIS SCHARFII

Croppenstad. Saxonis,

In florentissimo ad Albim Athenæo

Publico Examini subijciet.


ADAMUS MAHNERUS

Vratislaviâ Silesius.

in Collegio Veteri

Ad diem 7. Decemb. horis

â septimâ matutinis.



VVITTEBERGÆ,

Ex Typographæo CHRISTIANI THAM,

ANNO M DC XXII.

DISPUTATIONUM
METAPHYSICARUM
SECUNDA
DE
RATIONE ESSENDI

EST PRIMUM & PRINCIPALIS ARGUMENTUM

M. JOHANNIS SCHAEFFLI

Proprietarii Saxoniae

DAMNIS M. SCHAEFFLI

in Saxonia

ANNO MDCXXXII





—

DISPUTATIO METAPHYSICA
SECUNDA

De

RATIONE ESSENDI.

PRÆLOQUIUM.



Onstat, quod omnis disciplina & scientiæ differentia sumatur à proprio subjecto: Zab. l. 1. de N. S. constitu. c. 2. Ubi tamen in quolibet objecto duo sese offerunt: materiale & formale; ita ut *Materiale* aliis etiam quamplurimis scientiis possit esse commune; *Formale* verò cujuslibet scientiæ natura propria constituatur, & ab aliis omnibus separetur. Zab. l. d. Eadem hæc duo & *Metaphysicæ* subjectum includit *Rem consideratam*, *Ens*, & *modum considerandi*, quem in *formali Entis consideratione* ponunt *Metaphysici*; quiq; significatur per *Particulam reduplicativã quatenus*, sitq; *Ens quatenus Ens*, h. e. *Ens universalissimè sumptũ*, ita ut omne quodcunq; sub *Entis ratione* cadit, ejusq; nomine venire potest, sub eodem contineatur. Quare hoc ipso *Universalissima* hæc disciplina nostra ab omnibus aliis disciplinis particularibus distinguitur; Quippe quæ partem duntaxat ab *Ente* abstrahunt, illudq; per differentias & modos ad particularia *Entia* vel hæc vel illa restringunt & determinant: Id quidem quod ex præcedenti disquisitione satis claret. Verum enimvero non satis est cognovisse, *Objectum Metaphysicæ* primum & adæquatũ esse *Ens*, prout *Ens* est, sed etiam summè expedit, illud ipsum penitus introspexisse, *Naturamq; ejusdem & Quidditativam Entitatem* inquisivisse. Quippe *Ens* basis est omnium eorum, quæ in *Metaphysica* tractantur. Et sic ab *Ente* omnes reliquæ, quæcunq; sunt *contemplationes Metaphysicæ* dependent, nec cognosci possunt, *Entis* sine cognitione. Quapropter rectissimè ab *Ente*, tanquam totius *Metaphysicæ* con-



templationis fundamento nostrum principium sumimus; Atque illius quidditativam naturam hac disquisitione sub disputationis incudem revocare, hisq; chartaceis pagellis *Rationem Essendi* exhibere, allaboramus.

Nostris aut ceptis fauceat Tua gratia JOVA.

Esto igitur *Thesum*

I. Dicitur est sub finem antecedentis disputationis, Ens duplici modo intellectui nostro se offerre, 1. *Generaliter* secundum generalem suam naturam & affectiones, 2. *Specialius* per certas classes & genera. *Exc. Dn. Jacobus Martini l. 1. Praelect. Metaph. privatar*: Utroq; quidem modo Ens in posterum venit evolvendum, ut perfecta subjecti Metaphysici habeatur cognitio. Hoc tamen in primo nostro disputat. Metaphysicarum collegio Ens prius perlustrabimus in generali Theoria, prout scilicet generalissime secundum *τὸ ἔμωον* suum universale concipitur, praecisus modis specialioribus substantiae & accidentis.

II. Ut vero in reliquis omnibus disciplinis objectum *primò generaliter* consideratur in suis generalibus principiis & affectionibus, quae consideratio partem generalem disciplinarum peperit, ut, in Physicâ corpus naturale primò omnium contemplantur Physici generaliter, prout à suis speciebus est abstractum, & ita porro in aliis: Sic etiam in praesenti nostra scientia, ut *primò Ens* tanquam objectum generaliter expendamus, ipse naturae & cognitionis ordo efflagitat, quando urget, quod generalia generaliter sint proponenda. Proinde in generali hac Metaphysicæ parte, generalem Entis considerationem unice persequemur, antequam descendamus ad specialiores ipsius contemplationem.

III. *Generalis Entis contemplatio* absolvitur simplici Entis theoria, & affectionum ejus consideratione. Quando enim essentiam generaliter attendo sine respectu ad substantiam & accidens, tum primò se offert ipsa natura vel essentia *Entis*, & deinde ejus proprietates, quae illam naturam Entis
quasi

quasi insequuntur. In aliis quidem scientiis etiam principia
objecti occurrunt, quando id in universali spectatur: ut in
Physicæ parte generali, non modo affectiones corporis uni-
versales considerandæ veniunt, sed etiam principia corpo-
ris essentiam constituentia adsunt. Verum quia *Ens non ha-
bet principia essendi*, ut mox dicetur: Ideirco relictis princi-
piis, duo tantum in Generali Metaphysicæ tractatione nobis
investiganda manent; nempe *ipsum Ens, & Entis attributa*.
Quibus rectè & feliciter pertractatis perspectisque; totius Me-
taphysicæ contemplatio generalis benè erit absoluta.

IV. Ergo de *simplici Entis Theoria* primùm hic agimus,
quæ præ omnibus aliis *αεροκλιμασία*, & primum sedile sibi ven-
dicat. Quomodo enim vel affectiones, vel modi Entis co-
gnoscentur, nisi præcognoscatur id, cuius affectiones dicun-
tur? Et hoc quidem eò magis verum est, cum affectiones
Metaphysicæ essentialiter includant ipsam Essentiam, nec
concipi possint sine Ente.

V. *Simplex Entis Theoria nihil aliud est, quam consideratio
Entis precisa in sua quidditate sine omni modo spectata, prout sc.
Ens consideratur in definitiva sua ratione in conceptu proprio &
in distinctionibus nominalibus.* Scilicet Ens *ἀπλῶς* accipimus
in sua natura, non prout est in suis affectionibus, sed consi-
deratum in se prout affectionibus contradistinguitur. Idem
hoc breviter & accuratè docet *Clariss. Phil. Dn. Jac. Martini
in præleçt. Metaph. privatis, ubi ita loquitur.* Primus liber est,
qui partem Metaphysicæ generalem complectitur, proinde-
que de Ente agit simpliciter sine existendi differentiis. Ens
illud ita *ἀπλῶς* acceptum consideratur vel in se, prout contra
suas affectiones distinguitur, vel in suis affectionibus.

VI. Hæc jam *simplex Entis Theoria*, ut dextrè expediatur,
& perspicuè completeq; tradatur, distinctè & ordine agen-
dum erit, tum de *Ratione essendi s. Esse Essentia*, & Entis, tum
de *Conceptu ejusdem proprio*, eòq; tum absolutè sumto, tum

respectivo, tum deniq; de variis Entis divisionibus nominalibus. Hac ergo in disputatione *de ratione Essendi*, uti superius dictum, disquiremus.

VII. *Ratio Essendi* importat ipsum *esse* Entis, adeoq; explicatur & absolvitur definitiva Entis consideratione.

IIIX. Ut ergo *rationem Essendi* & *quidditatem Entis* ratione nostri instituti sufficienter, quantum quidem fieri potest, evolvamus, primùm de *voce s. Nomine Entis*, & deinde de eius descriptione dispiciendum erit.

IX. Quod *vocem Entis* attinet, sunt, qui illam (indeq; & Metaphysicos) variè exagitant ceu barbaram & obsoletam. Sed audiant isti vocularum vitiligatores *Quint. lib. 8. c. 3.* ita graviter monentem: Multa ex Græco formata nova sunt, ut *Ens* & *Essentia*, quæ cur tantoperè adspernemur, nihil video, nisi quod iniqui iudices adversus nos sumus, ideoq; paupertate sermonis laboramus.

X. Sit proinde vox *Entis* nova (ut isti putant) & haut ad gustum Oratorum, lædantur inde aures illorum, quibus omnia, nisi Ciceronianis lenociniis condita, sordes putantur. Nos cum Quintiliano & Philosophis sanioribus illam voculam *Entis* omninò retinendam, & in Scholis Metaphysicorum usurpandam esse censemus. Interim sciant illi, quod necessitas non rarò cogat Philosophos, ut noviter effingant vocabula, vel vulgaria ad suas pœdias elevent, quibus abstrusiores res eloquantur. Res enim sunt quasi infinitæ, ubi è converso vocum penuria deprehenditur non exigua. Quam in rem & ille *subtilitatum Magister Scaliger Exerc. 359. s. 2.* ait *Mutanda sunt quotidiana voces ad usum abstrusarum intellectuum, quæ rudibus inchoatisq; ingeniis acerbæ sunt: delicatis atq; Ciceronianis etiam ridicula.*

XI. Hinc multiformis rerum tractandarum varietas hispidis interdum & Latii jure nondum probatis vocabulis uti compellit Philosophos. Quod si factum deprehenditur, non est

est Philosophi, desertis rerum momentis in voculationibus argutias quærere, ne lis de vocabulo sit, & qui subtilitates examinare aggreditur, desinat in vocabulis Grammaticis. *Ubi iterum veritatis Præceptor Scal. Exerc. 307. f. 20. rectè monet: Rationibus agendum est viro veritatis studioso, non Tullianis Platoniceve pigmentis. Declamationes enim ambitiosorum opera, ociosorum cibi sunt. Natura divinitatisve negotiis impedito animo studendum est ei veritati, quæ res æquet verbis; demonstrationes certas habeat pro nectare.*

XII. Sanè ubi usus Philosophorum vocabula quamvis barbara introduxit, ibi non fas est, pro libitu ea antiquare, & nova si forte Latina magis, minus tamen apposita, substituere, alias foret, ut singulæ ætates novam habeant Philosophiam: in primis cum illos terminos quotidianus usus jam à barbarie ferè expiaverit, & in illis claritas commendabilior sit, quam in aliis elegantia: *ut erudite scribit Dn. Arniseus & ex illo Dn. Gutkuis Cont. Metaph. Diss. 2.*

XIII. Hæc contra osiores primæ hujus nostræ Philosophiæ, de *vocula Entis* præmonere voluimus, ut tandem suas ineptias agnoscant, & in posterum non ita vane, temerè & pueriliter in voculationibus terminorum Metaphysicorum quærant, quod exagitent: sed inquirent potius in res ipsas Metaphysicorum terminorum expressas, si capere possunt, id quod illis precor: Nunc illa ipsa *vox Entis*, quia illam approbamus, & frequenter cum totâ Aristotelicorum schola usurpamus, secundum acceptionem & significationem suam, discutienda venit.

XIV. *Primò* autem constat, quod *ly Ens* Latinis idem sit quod Græcis *τὸ ὄν*, huic enim respondet. Quando enim Aristoteles dicit *ὄν*, interpretes reddunt per *Ens*, ut *lib. 3. Metaph. c. 1. & passim alibi*: Quemadmodum *ἔσθια* solent vertere per Essentiam & substantiam. Et sicut *ὄν* est participium à verbo substantivo *ἵπαι*: ita *Ens* originaliter descendit à verbo *Sum*, cujus est participium.

XV. Vc

XV. Verum cautè observandum, quod vox hæc *Ens*, utut sit origine prima Participium, hodie à Scriptoribus & potissimum Metaphysicis *usurpetur nominaliter* & pro substantivo: Quemadmodum & Græci πόνος usurpant substantivè & nominaliter. Notum enim est, quod non modo Græci, sed & Latini Neutra absolute ponant pro substantivis.

XVI. Scilicet hinc est, quod Metaphysici notant, *Ens summi vel participialiter vel Nominaliter*, sive, quod idem ferè est, vel adjectivè, vel substantivè. *Ens adjectivè* s. participialiter sumtum dicunt, quod essentiam cum existentia conjunctam, h. e. *Ens actu* significat. *Ens verò Nominaliter* & substantivè sumptum dicunt, quod essentiam sine existentia mentione significat, unde hoc ἀπλῶς idem est, quod ἁπλῶς. *Vide Part. Metaph. Cl. Dn. Jacobi Martin. l. 1. f. 2.*

XVII. Ut verò intelligatur accuratius, quid verè sit *Ens participialiter* aut *nominaliter sumtum*, attende 1. *Quod participia semper significant actus suorum verborum*. E. g. *Legens* dicitur is, qui actu legit, *disputans*, qui jam hoc tempore disputat, *currens*, qui nunc actu currit. *Nomina verò non solent connotare actus*, utpote. *Homo* non dicitur ea res, quæ nunc actu existit, sed nihil attinet ad significationem hominis, an res ea voce significata existat, an vero sit demum possibilis. Dicitur utrumq; sine repugnantia, *homo producibilis* & *homo productus*. Hinc 2. facile apparet, quod *Ens sumtum ad modum participii à verbo Sum*, nihil aliud dicat, quam *Ens actu*: *Si verò sumitur ad modum Nominis, tum perinde est sive existat, sive non*, h. e. indifferenter dicitur ad id, quod possibile est, & quod jam jam existit: ut perspicuè satis explicat *Dn. Scheibl. in Metaph. l. 1. c. 2. tit. 1. art. 1.* Quomodo verò hæc propriè & accuratè sint intelligenda, infra dicetur. Interim consules *Suarez disp. Metaph. 31. sect. 1. & seqq. Cl. Dn. Jacob. Mart. in Met. lib. 2. Sect. 3.*

XIIX. Sed ut tandem inclarescat, *quomodo hic in Metaphysi-*

physicis Ens sumatur & quid illud sit: Homonymia Entis prius excutienda erit; Ipse scilicet Philosophus aperte insinuat, quod vox Entis ex eorum sit numero, quæ πολλὰ χῶς significant; dum eam non modo Categoriarum species constituentibus, sed etiam principiis entium, nec non mutationibus eorundem, quibus suam acquirunt perfectionem, tribuere videtur lib. 4. Metaph. c. 2. quando inquit, Entia alia dicuntur quia substantia, alia quia passiones substantia, alia, quia via ad substantiam, & generationem & corruptionem substantia, alia, quia sunt formarum substantialium privationes, aut qualitates substantia, alia, quia sunt effectiva, aut generativa substantia, alia, quia habent rationem eorum, quæ de substantiis dicuntur, vel eorum, vel ipsius substantia sunt negationes. Atque his mox subjicit, quod etiam vox Entis non entibus tribuatur.

XIX. Hinc etiam docet Gerbarus de monte in Thom. de Ente & essentia fol. 2. quod *Ens* bifariam sumatur. Uno modo *Ens* sumitur pro Ente reali, quod dividitur in decem Prædicamenta. Altero modo *Ens* illud dicitur, de quo aliquid affirmativè enunciari potest. Atque hoc sensu omnia Entia rationis sub Ente comprehenduntur. Nam de omnibus istis aliquid affirmativè dici potest. Entia autem rationis sunt negationes & privationes juxta divisionem Entium rationis, hodiè valde usitatam, secundum quam *Ens* rationis est vel relatio rationis, vel Negatio, vel Privatio. Hinc affirmativè enunciari potest, suntve propositiones affirmativæ, Tenebræ erant super faciem abyssi Gen. 1. item cæcus erat è nativitate Job. 9. &c. Et quidem rectè negationes ita vocantur Entia. Nam impossibile est, ut per intellectum alteri aliquid attribuat, nisi concipiatur saltem ad modum Entis. Et certè omnis affirmatio fit per verbum essendi (v.g. cæcitas est in oculo) qua indicatur saltem aliquo modo id rectè dici *Ens*, de quo aliquid affirmativè enunciatur. Qua de re

confulas *Suarez disput. 3. sect. 1. Itemq; disput. Metaph. 54. sect. 3. & 4.*

XX. Paulo altius & distinctius hanc Entis Homonymiam excutiamus. Ita ergo habet. *Vox Entis est nomen omnium eorum, quæ sunt: Damasc. in Dialect. cap. 4.* ita græcè proponit τὸ ὄν κοινὸν ὀνομαζέσθαι πάντων τῶν ὄντων. Quæ vox Entis sumitur 1. latissimè pro omni illo, quod per verbum essendi enunciatur, uti Aristotel. 4. *Metaph. c. 1.* etiam non Entia vocitat Entia: Quo sensu dicitur cæcitas est in oculo, tenebræ sunt, &c. Ibi namq; *ly est* saltem infert veritatem Propositionis, non verò realem aut positivam Entitatem. 2. *Strictissimè* pro incorruptibili, quo sensu solus Deus est verè Ens. Sic *August. l. 7. Conf. c. 11.* ait. *Inspexi cætera infra Te & vidi nec omnino non esse, nec omnino Esse. Esse quidem quoniam à Te sunt, non esse autem quoniam id, quod es, non sunt, id enim vere est, quod incommutabiliter manet.* Sic etiam *Hieron. epist. 4.* quæ creata sunt etsi videntur esse, non sunt tamen quoniam aliquando non fuerunt, & possunt rursus non esse, ut non fuerunt. Deus solus, qui æternus est, h. e. exordium non habet, essentia nomen verè habet. Quæ ratione Platonici omnes creaturas appellabant non-entia, unde *Ficinus in Plat. Parm. cap. 2.* ait, *Ens temporale quodammodo est non Enti permixtum.* 3. *Ens sumitur concretivè, pro eò quod essentiam habet tanquam aliquid à se diversum, uti in concretis, ubiq; duo distincta esse solent.* Sic sola creatura dicitur Ens, sic Deus non est Ens, quo sensu & Platonici frequenter utuntur, ut *Fic. in Plat. Sophist. c. 54.* ait. *Ens videtur quasi concretum significare, Essentia verò abstractum.* Sæpè verò sermonis gratia aliud pro alio ponitur. 4. *Vel Participialiter* sumitur, ut ab *Aristotele 2. Phys. t. 6.* In definitione motus. *Ubi Ens est existens quid, vel Ens actu, quo de sensu jam modò dictum est: Ubi explicatum, quomodo nominaliter Ens accipiatur pro Essentia, præcindendo ab*

do ab illo quod existit, vel non existit. 5. *Ens aliquando opponitur suis modis*: Qui modi sunt rationes Entis ita inclusæ & unitæ, ut ab Ente separari non possint, ut ita Ens sit illud, quod non est modus Entis. Ubi tamen latiori sensu & modi nonnunquam dicuntur Entia, quatenus Ens & non-Ens contradictoriè opponuntur. *Deniq; Ens communiter* dicitur illud, cui convenit essentia, vera, realis, & positiva. *Realis* autem *essentia* appellatur, quæ in se nullam habet repugnantiam, nec ab intellectu est facta, aut quæ est principium realium operationum.

XXI. His jam evolutis annotandum, quod hoc loco *Ens* sumatur pro *reali Entitate* secundum ultimam acceptionem: quomodo parit conceptum mentis universalissimum, qui intellectui sistit & exprimit tale quid, quod revera est, aut existit in natura. Et quidem intelligimus *Ens nominale*: non verò participiale, prout scilicet, ipsum rei esse præcisè concipitur, ut sic, non complicata differentiâ existendi, aut non existendi: *Vide Exercit. Met. Cl. Dn. Jac. Mart. Exerc. 3. l. 1. theor. 2. & alibi passim. Scheibl. lib. 1. Metaph. c. 1. tit. 1. Dn. Gutkium Contempl. Metaph. parte 1. disp. 2.*

XXII. Porro, ut propius accedamus, *Synonyma* Entis quoq; perponderanda sunt, qualia potissimum sunt *Res & Aliquid*; sive enim *Res* s. *Aliquid* sive *Ens* appelletur, idem semper erit conceptus alio tantum vocabulo prolatus.

XXIII. *Avicenna* quidem distinguit *Ens & Rem*, ita ut *Res* significet ipsam essentiam præcisè, *Ens* verò connotet actum essendi: sed hoc posterius falsum esse constat ex dictis, ubi *Ens nominale* proposuimus. Nos ergo ex communi loquendi modo edocti statuimus, quod *Res* prorsus idem sit cum *Ente*, nec ab eo distinguatur, nisi nominatione; Unde & æqualis æquivocatio est rei, quæ erat Entis. Etenim *Res*, ut notat *Armandus de Bello visu tract. 2. Expl. Termin. cap. 14.* derivatur vel à participio verbi reor, nempe à ly ratus, a, um;

& sic significat essentiam ratam sive firmam & stabilem, quo sensu dicimus *Ens reale*, quod sumitur cum independentia à ratione, & opponitur Enti rationis: vel deinde descendit Res à verbo *Reor reris*, in præsentis sumto, qua ratione res est id, de quo reris vel opinaris, vel concipis aliquid, & sic etiam dici potest de Entibus Rationis, cum illud verbum, *Reor*, importet actum intellectus s. rationis non secus ac vox *Entis*.

XXIV. Accuratè & sufficienter hanc nostram sententiam, quod Res sit synonymum Entis adstruit *Excell. Dn. Praceptor noster Jacob. Martini in Exerc. 4. theorem. 2. hoc syllogismo.*

Quodcumq; significat ipsam Essentiam Entis, illud non significat, sed est predicatum maxime quidditativum Entis.

At res significat essentiam (juxta Avicennam) sive quidditatem Entis. Ergo:

Item juxta communem loquendi modum *Res & Ens* ut *Synonyma* usurpantur, unde & *Res* non adjectivè s. denominativè conjungitur cum Ente, sed substantivè: *Ens est Res. Vide ibid. plura.*

XXV. Similiter & *Aliquid* se habet: Duplicem hujus vocis dant Etymologiam; Armandus de Bell. Visu. tract. 2. *Expl. Term. cap. 33.* putat, *Aliquid* dici quasi *aliud quid*, ita ut juxta hanc derivationem *aliquid* significet diversitatem sive divisionem Entis ab alio. Putat enim, ut *unum* dicit in divisionem seu *Ens* indivisum, sic *Aliquid* divisionem s. *Ens* divisum ab alio notare: adeoque esse affectionem Entis ut *Unum*. Idem quoq; tenet *Javellus l. 4. Metaph. quest. q. 6. ut & alii*. Verum neq; illa Etymologia commoda est, neque inde sequitur, quod volunt isti authores. Licet namq; ita sumatur *Aliquid*, non tamen inde efficeretur distincta affectio *Entis*, sed includeretur in unius ratione, cujus consequens est divisio s. *Alietas* sive *Diversitas* Entis ab uno, ut infra dicetur. *Non autem aptè dicitur, Aliquid esse quasi aliud quid.*

quid. Huic enim significationi vel ipse conceptus noster con-
tradicit, nam audita voce *Aliquid*, non formamus conce-
ptum distinctionis unius ab alio, sed potius rem concipimus,
quæ non est omnino nihil, quæve habeat aliquam Essenti-
am. Dicimus ergo quod *Aliquid* perinde sit, atq; *habens quid-*
ditatem aliquam: In qua significatione ei opponitur *Nihil*.
Cum autem *Nihil* & *Non-Ens* sint *idem*: etiam *Aliquid* erit *idem*
cum Ente, qua de re vide *Suarium disp. Metaph. 3. sect. 2. item*
Fonseca lib. 4. Metaph. cap. 2. quest. 5. sect. 2.

XXVI. Notandus hic est turpissimus error *Timpleri*,
quem errat *lib. 1. Metaph. c. 2.* ubi *aliquid* facit Genus Entis,
cum tamen *aliquid* sit reverâ æquipollens etiam quoad suæ si-
gnificationis latitudinem ad Ens. Ut enim Ens variis sumi-
tur modis & latè & strictè: sic & *Aliquid*. Unde *Fonseca* ait:
Aliquid juxta latam suam significationem etiam non Entia
comprehendere *lib. 5. Metaph. cap. 1.* Et quemadmodum *Tim-*
plerus ait *Aliquid* esse vel Positivum vel Negativum (ubi ta-
men iterum valdè aberrat, quando putat, Positivum & Ne-
gativum esse species) ita quoq; de Ente dices ad omnimo-
dum Entis & *Aliquid* æquipollentiam ostendendam, quod
Ens sit vel Positivum vel Negativum. Cum, uti supra dixi-
mus, etiam non-Entibus attribuatur Ens latè sumtum. Si
ergo æquè late patet Ens atq; *Aliquid*, qui hujus Genus esse
poterit?

XXVII. Nos ergo è rationibus modo allatis statuimus,
quod *Aliquid* ut & res, non sint distincta transcendentia, ut
Avicenna, *Javellus*, *Thomas*, & alii putarunt, sed sint
ipsum Ens, ita ut hæc tria *Ens*, *Res* & *aliquid* plene & planè
sint synonyma Grammatica, adeo ut differant non, nisi quo-
ad voces, uti differunt *Ensis* & *gladius*, uti prolixè disputat
Exc. Dn. Jac. Mart. in Exerc. Metaph. d. l. 1. Nihil autem est,
quod hic objiciunt, tot esse passiones Entis, quot sunt predicata
convertibilia cum Ente. Rectè respondetur negando. Nam

quidam termini s. prædicata tantum sunt ex diversa Etymologia & impositione vocis: Quidam verò significant distinctas Entis passiones, ut Unum Verum Bonum. Quia ergo Ens & Res tantum Etymologia & vocis impositione distinguuntur (Hoc enim ab Esse illud ex quidditate reali desumptum est) Res non constituet peculiarem Entis affectionem. Idem quoq; de voce & Aliquid iudices.

XXIIX. Præterea huc ad synonymiam Entis spectant, **E**ssentia, **Q**uiditas, **D**efinitio, **N**atura, item **F**orma, **T**erminus, & si quæ sunt voces æquipollentes aliæ, quæ ipsum *diver* rei exprimunt. Hæc nimirum vocabula ab Ente non differunt, nisi respectu quodam ex impositione vocis confligente. Rectè de his ipsis monet *Excell. & Acut. Philos. Dn. Jac. Mart. præceptor noster honoratiss. in præl. privatis. l. 1. c. 1. his verbis.* Quod ipsum quia à paucis rectè attenditur, fit ut quoties audiunt voces, *Forma vel simpliciter vel cum addito Forma Metaphysica, Essentia, Natura, Terminus, Quidditas* misere decipiuntur, ac de his statuunt, non aliter ac si quid distinctum ab Ente per eas representetur, cum tamen in re idem dicant, licet respectum aliquem rationis involvant.

XXIX. De *Essentia* quidem manifestum est, quod illa sit plane eadem cum Ente. Non enim Ens hic notat modum adjectivum sive significandi, ut loquuntur, in concreto, sed in abstracto. Ut enim sæpe dictum est, non participialiter, sed nominaliter sumitur, nempe ut Græci neutra ponunt pro abstractis. Sic nos latè more Græcorum Ens accipimus pro essentia: dum considerandum proponimus Ens, non ut habetur, sed ut est in se.

XXX. *Quidditas* etiam est Entis Synonymum: dicit enim idem Ens saltem sub alio respectu, nempe quatenus obicitur intellectui & quid sit cognoscitur. Hinc dicunt, quod *Quidditas sit ultima rei actualitas definitione expressa, & mente concepta*, idem insinuat *Cl. Dn. Jac. Mart. d. l.* quando
ait,

ait, quod Ens dicatur Quidditas, prout intellectui obicitur definienda, ac definitione describitur, quæ in responsione ad quid redditur. *Plura vide in Part. Metaph. l. 1. sect. 2. tb. 35.* Huc pertinet, quando Ens vocatur definitio, quatenus est id, quod definitione describitur. *ut ibid. tb. 66. docetur.*

XXXI. Porro Ens alio saltem respectu rationabili appellatur Natura; scilicet in ordine ad operationes. Quando enim Ens concipitur in respectu ad suas actiones vel functiones, tum alio nomine saltem vocatur & dicitur *Quis* s. Natura: Ubi conceptus Naturæ proprie quando sumitur, ad rei esse & quidditatem addit ordinem ad operationes. *Hic agunt de Terminis à Naturâ derivatis*, nempe à natura esse, secundum naturam esse vel fieri &c. *Item de denominativis Naturæ*, uti est Naturale esse vel non naturale; de quibus nunc nihil licet addere, ne theses justo prolixiores videantur; satis etiam omnia illa explicuit *Cl. Dn. Jacob. Martin. l. 1. Part. Metaph. sect. 2. tb. 67. & seqq. usq. ad finem.*

XXXII. Sic etiam Forma dicitur idem Ens, quatenus per illud ipsum res est id quod est: Non enim Forma Physica, quæ saltem est pars alicujus Entis sive Essentiæ Synonymum Entis constituit, sed absolute sumta, quomodo ait *Armand. Expl. Term. tract. 2. cap. 167.* Forma dicitur ipsa natura rei, quæ consideratur absq; conditionibus materialibus individuantibus, & generaliter respectu cujuslibet rei natura substantia importata per definitionem, & hæc vocatur Forma totius; Et hæc forma est in genere illo, in quo est illud, cujus est Forma, sive pertineat ad genus substantiæ, sive cujuscuq; accidentis. Solet hæc forma determinate dici forma Metaphysica, ut contra distinguatur Physicæ, quemadmodum infra patebit. Huc spectant quoq; termini illi, de Formali, Formalis ratio & similes: *De Formali* notat conceptum rei universalem, quando sc. rem abstractè & quid in sua essentia significat consideramus, non attendentes, quomodo in hoc vel illo

illo individuo, vel ab hoc vel illo authore sumatur & explicatur. *Formalis Ratio* dicitur ipsa rei essentia ut sic, & potissimum in accidentibus.

XXXIII. Deniq; *Ens* appellatur *Terminus* respectu nostræ cognitionis, propterea, quod illa juxta Philosophum 7. *Metaph.* incipiat ab accidentibus & terminetur ad ipsam Essentiam, Cl. Dn. Jacob. Mart. in *pralect. Metaph. privat. l. 1. c. 1.* Plura de terminis qui desiderat, adeat P. Hispanum & alios *summulistas* prolixè in *Logicis suis*, & potiss. in *tractat. de parvis Log.* hac de re præcipientes.

XXXIV. Haftenus de voce Entis, nunc de ejus *quidditate*, quæ intimius & re ipsa exprimit absolvitq; rationem essendi disquirendum venit. E dictis ergo, quia Ens est ipsissima Essentia, suppono, *primò* quod Ens non sit concretum ex Esse & Essentia, sive, quod de se non dicat habere essentiam, sed illam ipsam involvat, aut dicat, imo illa ipsa essentia sit. *Deinde* suppono, quod Ens de se nihil compositi dicat in re: quippe est commune etiam simplicibus, & etiam ipsi D E O tanquam simplicissimo tribuitur. Unde *tertiò* suppono, quod in Ente non differant *quod & quo*, (uti loquuntur) si namq; Ens per aliquid ab ipso diversum constitueretur, jam non esset ipsa essentia simplex, vel Ens ut sic, sed aliquid compositum, quod modo removimus. Proinde *quod est & quo est* in Ente *Metaphysicis ἀπλῶς* sumto unum idemque sunt; ut id satis evincit ipsa Entis inclusio intrinseca & essentialis in omni Ente ac in omni conceptu positivæ differentiae aut modi Entis realis, aut consequenter quoq; in conceptu ipsius Essentiae, qui Enti in proportionem respondet.

XXXV. Hinc dico, quod Ens non possit defini aut quidditative repræsentari: Non enim potest resolvi in duos conceptus, quorum unus absolvat rationem ejus materialem, & alter formalem: quorum ille constituat Genus, hic differentiam. *Ens neq; latius se agnoscit aut superius*: cum sit ge-

fit generalissimus conceptus: neq; æquale secum patitur; cum absurdum sit generalissimum habere æquale, & quidem essentialē, à quo constituatur. Neq; ergo Genus, neq; differentia in Ente locum inveniet, quomodo igitur poterit definiiri?

XXXVI. Ergo non est, quod hic inquireamus accuratam definitionem, cum dari non possit. Contenti proinde simus, si aliquo modo quidditatem & rationem Essendi declarare possimus per descriptiones ab iis, quæ intellectum nostrum facilius feriunt, haustas. Varii variè hic attentant; Nos relictis aliorum falsis opinionibus, breviter secundum veritatem rei quædam attingemus. Quando autem respicimus ad modo dicta, synonyma Entis, ubi ex diversis respectibus jam dicebatur Natura, jam Quidditas, jam Essentia &c. exinde non nihil lucis hujus rei accidere erit.

XXXVII. Scilicet per istos respectus ibi factos & insinuatōs variè poterit describi. Si attendas ordinem, quem habet Ens ad operationes, jam talis elicietur descriptio. *Ens sive Essentia est primum & radicale principium omnium actionum;* Principium nempe in quovis causarum genere primum & proximum, ut excludantur ea, quæ respectu substantiarum vera accidentia sunt, vel in nonnullis accidentium rationem inducunt. Si verò respicias habitudinem Entis ad intellectum, ita erit descriptio. *Ens sive Essentia est, quæ per definitionem explicatur.* Quæ circumscriptio desumitur à modo nostro concipiendi. Nam definitio non est in ipsa re, sed per eam res in intellectu explicatur, proindeque opus intellectus est, ut rectè docet Dn. Jacob. Mart. d. l. Utrumq; breviter & nervosè complectitur Gilbert. Jachæus l. 1. Instit. Metaph. cap. 5. *Essentia rei est primum & intimum, principium omnium actionum ac proprietatum, quæ rei conveniunt, Unde & Natura dicitur; sin verò hæc eadem definitione explicatur, Quidditas dicitur.* Vide Suar. Diss. Metaph. lib. 1.

C

disp.

Disp. 2. sect. 4. Si deniq; respicias ad modum loquendi nostrum, ita erit. *Ens est, per quod respondetur ad questionem, qua queritur, quid res sit.* Ita ergo per istos respectus varios & diversos poterit Ens describi, qui tamen omnes eandem semper Entitatem declarant saltem alio respectu sumtam nempe vel in ordine ad operationes & passiones, vel in respectu ad nostrum intelligendi & loquendi modum, ut *d. l. Suarez* rectè confitetur, quod aliter Entitas rei non possit cognosci.

XXXIX. Thomas Aquinas *lib. de Ente & Essent.* ait, quod Entis ratio consistat in eo, *quod habet essentiam unam, ac realem aptamq; ad realiter existendum.* Hinc & Suarez ait *l. d.* si Ens sumatur prout est significatum hujus vocis in vi nominis sumtæ, ejus ratio consistit in hoc, quod sit habens realem essentiam, id est, non fictam nec chymericam, sed veram & aptam ad realiter existendum. Hinc & vulgo dici solet, *Ens est, quod habet essentiam.* Quæ omnia dextrè ac probè sunt intelligenda. Primum autem attendas, quod Ens describatur *per ñ habere essentiam*, non secundum ipsius rei conditionem, sed ob imbecillitatem nostri intellectus & ex modo cognoscendi & concipiendi nostro; ubi necessitas *vocabulum habere esse* extorquet. Nam ex parte rei Ens non habet essentiam, sed est ipsissima essentia, uti non semel diximus. Videtur autem vox *habere* discrimen reale inferre inter Ens & Essentiam, quod omninò falsum. Si namq; Ens ab Essentia differret ut habens & habitum, tum Deus non rectè diceretur Ens: quippe in quo essentia non est distincta ab ipso. Interim ex necessitate intellectionis nostræ, licet ita loqui, *Ens est, quod habet essentiam*, ut tamen inde non notetur discrimen aliquod secundum rem: uti *etiam* in aliis solemus loqui: sic dicimus: *Deus habet naturam divinam, Deus habet omnipotentiam*: ubi sanè inter habens & habitum non est distinctio realis. Sic ergo & hic de Ente. Ut verò in Deo tales & similes loquendi modi desumuntur à nostro
conce-

conceptu: sic etiam hic illa Entis descriptio oritur ex modo
considerandi, quo intellectus noster ob suam imperfectio-
nem nequit simplicia concipere, nisi ad modum composito-
rum. Quocirca sicut ratio hæc significandi in concreto tota
pendet & effective & objective ab intellectu nostro, ita quo-
que in ipso terminatur, nec ullo modo refunditur in Ens, ut
est extra intellectum in se, quod primum in data descriptio-
ne cautè notandum duco. Deinde notat Suarez d. l. duo
in illa descriptione 1. In quo consistat ratio essentiæ, 2. in quo
consistat, quod realis sit. *Illam* exponit ex habitudine va-
ria Entis, qua ordinem habet vel ad operationes & effectus,
vel ad intelligendi & loquendi modum, de quibus egimus
in th. 37. vide ipsum ibid. *Hanc* (nempe *quod Essentia realis*)
explicat tum per negationem, tum per affirmationem. Illo modo
essentia realis est, quæ in se nullam involvit repugnantiam,
neq; est mere conficta per intellectum. Posteriori modo
Realitas essentiæ declaratur ab affectu, quod sit radix realium
operationum s. sit in genere causæ efficientis, s. materialis,
s. formalis: (*quippe operatio indicat essentiæ*) sic enim nul-
la est *essentia realis*, quæ non potest aliquem effectum habere
vel realem proprietatem. Itemq; *essentiæ creatæ realitatem*
à priori declarat per causam extrinsecam: eamq; realem vo-
cat, quæ à Deo realiter potest produci & constitui in Esse En-
tis actualis: Hoc enim est, quod data descriptione dicitur,
Ens habere aptitudinem ad realiter existendum. Non verò pot-
est ratio essentiæ exprimi per *causam intrinsecam*, quia ipsa
est *prima causa vel ratio intrinseca Entis* & simplicissima, ut
hoc communissimo conceptu concipitur. Unde solam di-
cere possumus *Essentiæ realem* eam esse, quæ ex se apta est
esse seu realiter existere. *Nota* verò, quod hæc aptitudo ad *es-*
se rei non neget esse actuale rei, sed saltem in abstractione
mentis notat esse præcisum ab esse actuali. Quod ipsum ac-
curate docet Cl. Dn. Jac. Mart. lib. 1. part. *Metaph. s. 2. quest. 5.*
quando ait: Nos illam *dependentiam Entis*, (quod possit à

Deo in esse actuali constitui, s. quod habet aptitudinem ad
essendum) potius ita sumimus, ut sit in essentiâ, *quæ extra
causas quidem existit*, in mente tamen concipitur. Quando
enim per abstractionem Metaphysicam *essentiam* abstrahimus
& à sua existentia distinguimus, tum nihilominus etiam in
purissima illa abstractione manet illa ad existendum depen-
dentia: alias enim ut *Ens reale* concipi non posset. Sic *Sua-
retz* hanc in rem rectè ait. *Ens, vi nominis sumtum*, significat
id, quod habet essentiam realem, præscindendo ab actuali
existentiâ, non quidem excludendo eam, aut negando, sed
præcisivè tantum abstrahendo. *Vide plura ibid. disp. 2. lib. 3. sect.*

XXXIX. Præterea & hæc communiter & frequenter in
scholis Metaphysicorum solet adhiberi descriptio Entis, quâ
dicunt: *Ens est generalissimum, quod primum omnium intelle-
ctus noster concipit tanquam notissimum.* Quæ definitio desu-
pta est ex ordine ad nostros concipiendi modos, ubi intelle-
ctus noster in rebus concipit & quod sunt & quo sunt. Hanc in
rem recognosce quod dupliciter apud Scholasticos *Essentia*
sumatur, nempe aliquando ut *quod res est*, aliquando ut *quo
res est*. Atq; in corporibus *esse ut quod* dicunt ipsum composi-
tum totum; *Esse autem ut quo* esse illis formas ipsorum essen-
tiales & specificæ, per quas siquidem corpora sunt illud, *quod
sunt*: v. c. *Torus homo est esse ut quod*, totum vero hominis
anima sc. est esse ut quo, per animam siquidem homo in esse
constituitur.

Esse ut quo

Esse ut quod

XL. Licet verò in Ente abstractissimo non differant *quod
& quo* uti supra supposuimus: tamen intellectus noster ob su-
am imbecillitatem (ut in aliis omnibus) hic etiam duo ista
in Ente ἀπλῶς & Metaphysice sumto apprehendit: Et ita *pri-
mò* analogicè in data descriptione Entis exprimit *quod sit*,
quando ait *Ens est generalissimum*; scilicet quando intellectus
refertur ad Ens actû, tum occurrit in re generalissimum, quo
concipit Ens tanquam generalissimum conceptum: Nam

quando ait: Nos illam generalissimam esse, quod sit, in re
concipit Ens tanquam generalissimum conceptum: Nam

quando audio generalissimum conceptum, statim habeo aliquid, quod subjectum Metaphysicæ constituit.

XL I. Hinc addit *quasi quos sit*, dicens, quod primo omnium ab intellectu concipitur tanquam notissimum. In illa enim relatione mentis ad Ens, & in illo modo concipiendi nostro, etiam deinceps se offert *ratio* quædam *quasi formalis*, qua Ens quasi constituitur in esse & ab aliis distinguitur: id quod inibi quoad modum concipiendi est *primo cognitum esse*: Hoc enim acquisito statim mens habet & concipit *Ens*: ut rectè dicant Metaphysici saniores omnes, *Ens esse primum cognitum*, qua de re infra in quæst. Hæc de quidditate Entis hac nunc vice sufficiant, qua theses: Ultimo loco ut ratio Essendi illustrior fiat, de opposito Entis, quod est Non-Ens, hæc adjicio.

XL II. Tandem *Non-Ens* contradictoriè Enti opponitur. Ut verò vox Entis erat ambigua, sic & *non-Ens* varie sumitur. *Primo non-Ens* dicitur, quod non est æternum; quo sensu omnes creaturæ erunt non-Entia. *Deinde Non-Ens* dicitur quod non habet Positivam Essentiam & realem. *Præterea Non-Ens* aliquando dicitur, quod habet Esse imperfectum & diminutum vel nondum actuatam, quomodo solent accidentia, materia, Ens potentiale &c. dici non-Entia. Vide *Peter. lib. 4. de Phil. Antiqua cap. 15.* Item *Scal. Exerc. 307. f. 24.* & alios. Eleganter hac de re loquitur *Mars. Ficinus Ennead. 1. lib. 8. in Plot. cap. 3.* his verbis; *Non-Ens* aliquando dicitur pro eo, quod *non est verè Ens*, (h. e. quod imperfectum & diminutum) aliquando verò pro eo, quod est *verè Non-Ens*, h. e. quod simpliciter nihil est. Vide *Scheibl. l. 1. Metaph. c. 2. tit. 1. art. 4.* Sic ergo fuere *Theses*.

Non Ens.

Usus & Abusus doctrinae de Ente.

Non putandum est, ac si ullum aliquod in Metaphysicæ pomatio tractetur, quod suo careat fructu, quodve non insignem

gnem spiret utilitatem. Ut ergo generatim in antecedente
disputatione usum primæ huius Philosophiæ, ita etiam porro
speciatim & singulatim singulorum terminorum Metaphysi-
corum utilitatem adumbrare studebimus. Nunc itaq; in-
terest illorum, quæ in præsentihac disputatione habentur,
fructum persequi. Licet verò non desint homunciones, qui
statim in limine ocellamitare solent, frustraneum & vanum
esse laborem, qui de Ente suscipitur; Attamen iniquitas ta-
lium Schillingianorum nihil contra nos adfert, nisi mera
convitia, vana ludibria & horrenda mendacia, ignorantia
summæ plena. Quod si quid verè reprehendunt (quod vix
aut rarissimè fit) id abusus est terminorum Metaphysicorum,
non vero usus. Quem abusum neq; nos probamus: Hoc
tamen à sanis petimus, ne ob abusum rei tollant aut conte-
mnant ipsam rem reiq; usum. *Abusus autem de Ente est*, ubi
sophistæ confundunt nominationes varias Entis, eaq; quæ
æquivocè nomen Entis sortiuntur, venditant pro veris Entis
speciebus: Ubi alii per Ens hic intellectum putant creatum,
Ens, vel Ens compositum & concretum; ubi adhuc alii adsu-
munt Ens ut accidens. Turpiter autem hallucinantur isti,
qui Ens Deo attribuunt loco generis: ac si esset Genus ali-
quod commune Deo & creaturis: quasi jam transcendentia
inciperent fieri entia prædicamentalia, quibus solis convenit
generis natura. Maxime verò omnium sese exerit abusus
nobilissimæ huius doctrinæ de essentiâ (de reliquis hac vice
non licet dicere, quæ alibi attingentur) in istis sycophantis
Schillingianis, qui nuperâ ætate de industriâ vocem & rati-
onem Entis exagitare, miserè depravare, & pessimè abuti
satagebant: Quæ nequitia cordatis non potest non esse pero-
sa maximè & execrabilis. Verum valeant isti ignorantia
fratres, habeant sibi suam asininitatem, modo nobis sinant
entitatem, ejusq; usum. Nos *usum* potius huius disputationis
de Ratione essendi sectemur & adfectemus.

usus

Ufus autem insignis est. Primò absolutus se offert, qui ex-
erit se in cognitione verâ Entis, ut nempe sciamus, quo-
modo hoc loco Ens accipiatur tanquam nomen, quomodo
variè sumatur, quod hic sit essentia realis & coincidat cum
essentia, Quidditate, Re, definitione, Natura, ut veram
Entis rationem s. descriptionem teneamus, ut & alia, quæ ra-
tionem essendi concernunt, dextre dijudicemus. Quæ sa-
ne doctrina Entis, ut necessaria est in Metaphysica contem-
platione, sic etiam haud exiguam confert utilitatem. Condu-
cit enim ad omnem primæ Philosophiæ speculationem ritè
& feliciter perficiendam. Objectum hujus scientiæ distinctè
proponit, explanatq;: ad subsequendum cognitionem o-
mninò prærequiritur. Neq; verò commodè intelligas vel
distinctiones Entis, vel ejus analogiam, vel affectiones s. mo-
dos ejus, nisi prius ipsum Ens tanquam subjectum legitime
degustaveris. Elucescit ergo usus hujus doctrinæ sat ampli-
*us in Metaphysicæ pomæriis. Magis fortè desideratur *Ufus**
**Respectivus* hujus disputationis: An etiam doctrina de Ente*
extra Metaphysicæ pomæria utilitatem spirat? Et ita in prom-
tu est, quod conferat commodetve. Quis inficiabitur, quod
omne, de quo vel disputatio, vel cogitatio, vel collocutio
instituitur, sit Ens, aut habeat rationem Entis? Jam ipse cogi-
ta, quantum lucis & commoditatis inde exoriturum, si rati-
onem essendi distinctius noveris in omnibus profundioribus
Philosophiæ meditationibus, disquisitionibus aut Professi-
onibus: aut contra, si ignoraveris, quantas tenebras & erro-
rum gurgites ubiq; quantos? Vide modo quanta expedien-
tia, (aut etiam rectitudo) oborietur, si attenderis ut Entis
abstracta est notitia, ita etiam attributorum ejus sit abstracta
consideratio: ut Unitas, Veritas, Bonitas abstractè debent
fumi, prout conveniunt Enti quatenus Ens est, h.c. ipsissimæ
essentiæ ut sic. Sic reliquos terminos Metaphysicos omnes
completè abstrahendos esse hæc doctrina de Ente juxta alia
incul-

inculcare habet: quippe Ens subjectum omnium transcendentium, universalissime & abstractissime proponit. Hinc immensus usus fuit in Philosophiam & Theologiam. *In Philosophia* & in omni veritatis indagatione commodat, si animadvertas, quod attributa rei assignare debeas, quæ ipsi insunt, ut tale est & præcisè, ut sic sumitur: quomodo Enti omnia prædicata Metaphysica convenire debent, quatenus Ens est. Item si observes, quod Ens & Non-Ens inferant contradictionem primam, ubi generalissimum perspicies usum, ne cum Ramistis, ineptè satis alienius scientiæ objectum constituas Ens & Non-Ens, quemadmodum isti in Logica: Quomodo enim contradictoria subjectum unum ingredientur. Similiter inde perspicies, quod absurdum sit, dare duplicem eamq; contradictoriam veritatem. Ut enim unam rei essentiam hic agnoscis, sic quoq; veritatem ejus unam dijudicabis: secus ac immani furore contra latrarunt illi Schillingi complices. Alia nunc quidem mittimus & fortasse ampliora. *In Theologia* per amplius hujus doctrinæ usus est juxta alios iste, ut sciamus, quid dicitur hoc prædicatum Entis Deo convenire: & quidem abstractè, unde & attributa Entis ita essentia competant in abstractissimâ suâ ratione & naturâ, neq; cum ipso Ente confundantur, e. g. Persona est terminus Metaphysicus & Deo etiam applicatur juxta receptam loquendi consuetudinem & in tota Ecclesia usitatam. Hic ergo modus abstractè est considerandus, ne confundatur cum Ente; h. e. non debent ipsi attribui ea attributa, quæ Enti quatenus Ens (vel ratione Entitatis) conveniunt; uti sunt Finitum vel Infinitum &c. Quia enim persona est modus Entis, non verò ipsum Ens, apparet sanè, quod persona neq; finita, neq; infinita est dicenda, sed ipsum Ens vel essentia ita disjunctim denominatur. Quod ipsum contra Photinianos cautè & piè est observandum, qui somniant, si tres Personas concedamus, tria infinita asseri: quod omninò falsum. Distinguant

Attingant enim isti inter Ens ipsum & ejus modos: attendant, quod in prima Philosophia Entis (tanquam subjecti) affectiones tradantur, & tales quæ ipsi ratione Essentiæ conveniunt. E. Ens ipsum dicitur vel finitum vel infinitum, non verò modi Entis de sese, nisi fortè per accidens & propter essentiam, cujus sunt modi. Ergo Essentia divina dicitur infinita, & hæc, quia una est, unum infinitum est, uti infra de finito & infinito pluribus ostendetur. Sic & singulare, unum & alii termini, si Deo attribui debent, ut solent, non concretè istos consideres, sed abstractè, quatenus Enti conveniunt ut sic: Non uti in creaturis se habent, sed juxta universalissimam suam rationem & formalitatem, quam in ultimata abstractione inferunt. Hoc enim vult Ens abstractissimè hic consideratum. Quæ dum dicimus, piè monemus, felix, qui attendit, rectè percipit, dextre applicat.

Quia verò ipse Deus sua majestate non reputavit indignum, in S. Scripturâ sese nobis nomine Entis manifestare, omninò rectè Metaphysicus Entitatem Deo tribuit, & ita simul sub latitudine Entis essentiam divinam, quam potest speculari: ita tamen, ut sanctè confiteatur, longè eminentiori modo essentiæ rationem in Deo esse, quam in creaturis, ut mox infra dicetur. Sed satis de hisce,

A X I O M A T A.

1. Ens est nomen transumptivum. Averrhoës Epit. Metaph. quia aliud per hoc nomen intelligit vulgus, quam hoc in loco intelligitur, puta vulgus semper in tali vel tali Ente, quatenus concretum aliquod Ens est, subsistit & ita participialiter sumit Ens. Verum non ita Metaphysicus. Hic enim abstractissimè, & ita distinctè in sua Entitate, prout est ipsa essentia, & sic universalissimè abstracta natura.

2. Ens & Entitas, Quid & Quidditas in Metaphysica con-
D *templa-*

templatione planè idem sunt & de eodem dicuntur. Ita patet de dictis. Idem hoc effatum probat *Exc. Dn. Jac. Mart. in Prel. Metaphys. publ.* ex modo considerandi quomodo subjectum. Metaph. est Ens quatenus Ens: inde sc. inferitur, quod Entis formalis ratio sit ipsum Ens, vel si ita placet, ipsa Entitas s. essentia.

3. *Ens est omnium generalissimum & primum.* Constat hujus axiomatis veritas, & satis decantata. Quis enim ignorat, quod Ens suo ambitu omnia, quæ esse aliquod habent, amplectatur? scilicet nihil in universa rerum natura invenire licet, quod nomine Entis non veniat. Insuper collocatur supra omnia prædicamenta, & de omnibus prædicatur.

4. *Essentiam rei qui ignorat & veritatem ignorat.* Fic. in Plat. in Theætet. Tum enim demum veram de re aliqua opinionem aut notitiam habemus; quando ejus quidditatem, sive *τὸ ἴδιον* tenemus: Ubi hic aberratur & res ipsa ignoratur.

5. *Entitatem habens omne sua Entitate est ens.* Alex. de Ales. 7. Metaph. text. 5. Quicquid enim revera est & existit, illud intrinsecam & propriam habeat Entitatem necesse est. Si namq; aliena est Entitas, jam est extra & diversa, Ergo diversum & aliud Ens constituit. Illud vero ens diversum non constituet aliud Ens à se diversum, sed potius per essentiam propriam differet & distinguetur ab eo, quod non est ipsum. Vide Suarez disp. 2. Metaph.

6. *Ens non dicit defectum, sed excellentiam.* Gab. Burat. de Ente & uno l. 2. scil. perfectio est Esse, ubi è contra Non-Esse vel non Ens arguit imperfectionem. Deficit autem aliquid in quantum non-Ens est, vel in quantum non esse potest, suove esse privari: Quatenus verò esse habet vel Ens est, eatenus non signatur defectus in ipso, sed potius excellentia quædam: Uti loquitur Platoniceus ille in dato axioma.

7. *Uniuscujusq; Entis una est essentia.* Aristot. l. 6. Top. c. 3. vel.

vel Ens unum non nisi unam habet essentiam. Impugnare hic non veretur Timplerus ipsissimam lucem veritatis, quando ineptis nonnullis ratiunculis adstruere conatur *lib. 1. Metaph. cap. 3. quest. 4.* hanc nostram assertionem non esse simpliciter veram, sed secundum quid. Quomodo autem rem expugnarit, & quam turpiter errarit vide in Part. Metaph. Exc. Dn. Jac. Mart. lib. 1. Sect. 2. q. 15. ubi datum axioma accurate probat, explicat & contra ineptias Timpleri defensat.

8. *Ens est primum principium essendi internum, operandi & cognoscendi.* Est enim ipsa essentia, quæ est interna ratio omnium rerum, ut è thes. enotuit. Patet hoc insuper ex iis, quibus explicuimus, quomodo Ens dicatur Natura, forma & quidditas, recognosce theses.

9. *Ens est illud, quod primo intellectui occurrit.* Alex. de Ales. 3. Met. f. 17. vel ita *Ens est primo cognitum.* Intellige Ens singularizatum, quod originali confusa cognitione primo apprehenditur, ab intellectu nostro: ut in quest. fusius explicabitur.

10. *Ens & non-Ens important primam contradictionem.* E dictis: quia Ens est primo cognitum, E. quod ipsi contradicit, prima contradictio non in seipso dicitur.

11. *Impossibile est idem simul esse & non esse.* E dictis, quia contradictio est. Et hoc primum omnium principium de prædicari solet, ut rectè disputat. *Aquar. in l. 4. Metaph. dilucid. 7. p. 220.* Item *Soncinas l. 4. quest. Metaph. quest. 21. p. 44.* alias ita effertur. *Quodlibet est aut non est.* Item, *Non contingit idem simul esse & non esse:* Item, *de unaquaq; re vera est affirmatio aut negatio.* Aristot. 4. Metaph. & 6. Top. c. 6. & c.

12. *Ens ab Essentia non distinguitur in Metaph. tanquam concretum ab abstracto:* Ita patet è thesibus, quia nunc Ens abstractissimè & ἀπλως sumitur, quomodo supponit pro ipsa essentia ut sæpè diximus.

13. *Essentia nunquam adsequitur naturam Entis, donec af-*

sequatur esse existentia. Alex. de Ales in 5. Metaphysic. text. 14. Ratio est, quia Ens, quando adhuc latitat intra causas, & non est actu, sed saltem in potentia, illud non est Ens. Quando vero actualem existentiam acquirit, tum demum fit Ens reale, ut intra disputabimus. Interim consules, si placet, hac de re *Suarez disp. Metaph. 2. sect. 4.*

14. *Entia omnia per formam sunt id, quod sunt.* Ergo ex forma omnis perfectio. Alex. Aphrod. de Anima lib. 1. c. 2. Intellige formam totius, de qua in thesibus dictum est, quod coincidat cum ipsa essentia rei; quæ ideo dicitur forma, quia est ultima actualitas, à qua Ens aliquod est Ens. *Scheibl. lib. 1. Metaph. c. 2. tit. 2.*

15. *Essentia omnis propriam & essentialem habet operationem*, qua nunquam destituitur. Alb. Mag. in 2. de anim. tract. 1. c. 1. Hoc innuunt axiomata illa decantatissima: Quodlibet in quantum est, operatur. Item: Quod desinit ab operatione, desinit ab esse. *Vide part. Met. Dn. J. M. disp. 2.*

QUÆSTIONES I.

An Ente quid sit latius?

Licet hujus quæstionis decisionem, veritatemq; in axioma nostro tertio, breviter quidem, nervosè tamen proposuerimus, ita ut supervacanea penitus hic repeti videatur, tamen, cum non pauci sæpius reperiantur, qui & ipsissimam lucem veritatis, tenebrarum arguere, eidemq; contra ire & contradicere ne rubore quidem suffunduntur ullo, aut erubescunt; libet hæc & argumenta eorum, qui hujus quæstionis nostræ decisioni quæ Negativam tuemur, dicam scribere satagunt, paucis ad veritatis trutinam examinare. Hos vero inter cum princeps ferè sit Timplerus, qui nobis contradicens quatuor Ente fingit latiora, videlicet intelligibile

Ali-

Aliquid Positivum, Aliquid & Essentiam. Quam egregiè autem defenset rationes illius nullius planè momenti satis superq; demonstrant. Primò etenim tali (intelligibile) latius Ente patere concludit syllogismo.

Quodcumq; non tantum de Ente verum & de Nibilo predicatur, illud Ente est latius.

Atqui intelligibile non tantum de Ente verum & de Nibilo predicatur. E. Probat minorem, quia & Non-Ens s. Nihilum potest intelligi.

Quid autem hoc ex syllogismo sequatur, non est, quod videamus. Ratio siquidem minoris negatur à nobis in totum, utpote quæ statum quæstionis nostræ non tangit, quippe quo quæritur. *An non-Ens in se & absolutè absq; Entis cognitione & intellectu possit intelligi?* Hic si probares rem laude dignam faceres; Nondum siquidem negatum est nihil posse intelligi, *sed illud, quod absq; cognitione Entis?* Omne siquidem quod debet intelligi vel Ens sit necesse est, vel sub Entis ratione concipiatur, atq; sic & Non-Ens sub Entis ratione concipi potest. Intelligibilitas quippe Entis respectum ad intellectum supponit, qui verò Non-Ens poterit respectum ejusmodi ad intellectum ponere, cum illius nullæ penitus sint affectiones, atq; sic nec relationes. Adde quod intellectus noster incipiat à sensibus, nec quidquam concipi ab intellectu nostro possit, nisi incurat prius in sensus. Atqui qua ratione aut quomodo Non-Ens sensibus objicietur, cum nihil possit iisdem objici, nisi prius in Esse sit positum. Patet exinde intelligibile nulla ratione non-Enti (absolutè sumpto) competi posse, atq; Ente sic non latius, sed posterius esse. Id quod etiam judicii esto de rationibus cæteris, quæ de aliquo Positivo & Essentia adjicit. Quod enim astruit Aliquid Positivum sub se habere species oppositas, Ens vid. & Essentiam est hoc, de quo quæritur. *Ens siquidem & Essentia*, quibus adde *Aliquid*, penitus sunt synonyma Grammatica, uti ex the-

libus 26. 27. 28. &c. satis superq; constat. *Aliquid verò Positivum* Ente longe est posterius, cum & detur quod sit *Aliquid privativum*, videl. quod tamen non est *Aliquid Positivum*.

QUÆSTIO II.

An Ens sit primo cognitum?

Diximus in axioma 9. Ens esse illud, quod primò omnium intellectui occurrit; quod quidem circa, cum non pauca possint oriri dubia, sciendum in initio, quod *cognitio* vulgò dispesci soleat in *Actualem* & *Habitualem*; illamq; dici eam, quâ intellectus actu intelligit. *Habitualem* vero esse ipsum habitum, quem circa rem cognitam multa repetitione & exercitatione acquisivimus. Solet insuper *Cognitio* subdividi in *confusam* & *distinctam*. Estq; *confusa cognitio*, quando rem quoad quod sit, nominalemq; ejus definitionem cognoscimus. Et hæc cognitio extrinseca omnino est, nec ad internam rei naturam cognitionemq; descendit. *Distincta* verò dicitur, qua non modo res, quod sit, verum etiam internam ejus naturam, omnesq; essentielles condiciones cognoscimus. *Et in originalem* & *eam, quæ ex priore fluit*. Illa est, quâ rem nunquam visam auditam vel intellectam cognoscimus. Hæc verò qua prior rei cognitio repetitur.

Sciendum & secundo, quod ut omnia universalialia, sic vel maximè Ens, quippe quod universalissimum, dupliciter sese intellectui nostro representet, vel abstractè vel concretè, uti & superius dictum, proindeq; plures hic sunt quæstiones. Prior est, *quânam cognitione Ens primo dicatur cognitum, num cognitione Actuali vel Habituali?* Posterior verò quærit, *Num Ens ratione abstracta vel concreta sit primo cognitum?* Pro decisione igitur quæstionis prioris dicimus, quod Ens, quando primò cognitum dicimus, intelligamus cognitionem non, habi-

habitualem & distinctam, sed actualem confusam & quidem confusam originalem. Omne siquidem, quod maximè universale est tali modo cognoscitur, atq; conceptus, qui Generalissimus est & imperfectissimus, is prior omni alio conceptu formatur. Conceptus quippe conjunctus semper progreditur ab imperfecto ad perfectum; atqui conceptus Entis est imperfectissimus, cum reliqui omnes conceptus superaddant aliquid conceptui Entis. Ergo;

Pro questionis posterioris decisione tenendum: Ens singularizatum s. in singularibus adhuc concretum, esse primo cognitum. Namq; nihil est in intellectu, quod non prius fuerit in sensibus; Jam verò universalia obijciuntur sensibus in singularibus. Ergo & intellectui in singularibus obijciuntur, quippe qui deinceps rationem istam universalem à singularibus abstrahit. Ergo & Ens, quia est universalissimum, in singularibus intellectui obijcitur, atq; ita semper sui speciem imprimit intellectui, unde non possit non primo cognosci; Uti fusius demonstrat Exc. Dn. Jac. Mart. praeceptor noster honorandus, in Exerc. Metaph. Exerc. 3. & c.

QUÆSTIO III.

Num Ens habeat principia essendi?

Quamvis nullum tam bardum esse, admodumq; oculis lippire existimemus, qui hanc istam questionem negandam esse non videat; Attamen ne quidquam absq; rationibus adstruere videamur, libet rationes, quibus (cum omnibus sanioribus) negativam defensitamus, adjicere, ut veritas hujus quæstionis magis magisq; pateat. Rectè itaq; dicimus Ens non habere essendi principium. 1. Quoniam est universalissimum, universalissimum autem prius se nihil habet. Atque sic nec principia. 2. Quia in Ente, uti superius dictum, non diffe-

*differunt Quod & quo, imò Ens planè Quo constituiatur in
esse non habet. Adde 3. quod Ens sit ipsum principium essen-
di & operandi & cognoscendi. Omne siquidem, quod per
se inest rebus, ab essentia rei est, tanquam à principio ejus-
dem intrinseco. Quid 4. quod Ens ipsis etiam tribuatur prin-
cipiis. Ab esse siquidem suo illa ipsa principia habent, quod
sint principia. Imò 5. & ipso Deo tribuatur. Jam verò quò
id, quod principia essendi habet, Deo poterit attribui? Ma-
net itaq; firmum, quod Ens absolute sumptum non habeat
Essendi principia. Habet tamen principia cognoscendi,
& quidem ea duntaxat à posteriori, quatenus videlicet est &
cognoscitur à nobis in singularibus. Manum de Tabula,
Hac vice atq;*

Gloria sit summo qui regit astra Deo.



AB: 67 $\frac{5}{c, 10}$

ULB Halle

003 357 104

3





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Farbkarte #13

B.I.G.



3

ATIONUM
YSICARUM
INDA
De
ESSENDI
ve
ENTIS,
am
primo illo annuente
ate Philosophica
tiente
RESIDIO
S SCHARFII
d. Saxonis,
d Albim Athenaeo
mini subjiacet.
MAHNERUS
a Silesius.
io Veteri
Decemb. horis
matutinis.
BERGÆ,
STIANI THAM,
DC XXII.

